

stabilitate permaneat. Interdicentes omnino episcopo, in cuius parochia esse videtur supradictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quicquam, sed neque ullo modo baptismales Ecclesias sibi vindicet.

Et ego Henricus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarius, una cum Bartholomeo clerico sancti Petri ad Vincula, horum supradictorum exemplorum authentica privilegia, domnorum videlicet

Adriani, Joannis atque Marini papæ, videns atque perlegens, ut in eis continebatur, sic in suprascriptis continetur exemplis, et ea fideliter exemplavi, et signum feci. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ conscriptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem, etc.

Datum Laterani Idus junii, pontificatus nostri anno sexto decimo.

ANNO DOMINI DCCCL.

COSMAS JAPYGUS

MATERIENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN COSMAM JAPYGUM

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

Cosmas Japygus, Materiensis, circa annum 950 traditur carmen quoddam composuisse in honorem Theopompi episcopi, Theonæ et Synesii; quorum martyrium Diocletiana persecutione passorum celebrant 21 Maii, incipit:

Contulit agminibus fratrum pia munera Christus;
Præmisso exordio ad Gregorium Ligum, monachum Nonantulanum;
Cosmas Gregorio monacho dedit ista benigno.

Subjicitur hymnus cujus initium:

Celsum triumphum martyrum.

Edidit ex Nonantulano codice Ughellus tomo II Italiæ Sacræ, ubi de Mutinensibus episcopis, pag. 111, 112.

COSMÆ JAPYGI

CARMEN

IN HONOREM SS. THEOPOMPI ET SOCIORUM.

(Apud Ughelli, Italia sacra II, 111,)

MONITUM UGHELLI.

Sanctorum Theopompi et sociorum res gestas legibus in pervetusto membranaceo codice abbatiæ Nonantulanæ, longe diversas ab iis quas Petrus de Natalibus lib. v, cap. 35, recensuit in catalogo; quorum initium, post præfationem, eorundemque nominum interpretationem, est hujusmodi: *Passio sanctorum Theopompi episcopi et Theonæ, qui est Synesii*. In fine vero: « Martyrizati sunt autem beatissimi Martyres Theopompus episcopus et Theonas, qui et Synesius, sub Diocletiano impiissimo imperatore, anno primo persecutionis ejus apud urbem Nicomediam, pridie nonas Januarii, regnante vero Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum Amen. » Cujus vero civitatis Theopompus fuerit episcopus, in actis non exprimitur, sed tantum Nicomediæ sub Diocletiana persecutione passus dicitur, una cum Synesio, quorum dies festus celebratur Nonantulæ 4 Januarii, quo die passi sunt. de quibus Martyrologium Romanum 21 Maii, et Baronius in notis, ubi perbelle demonstrat haud potuisse Theopompum Nicomediæ episcopum esse in Diocletiana persecutione, cum temporum ratio parum consentire videatur. Anthymus enim Nicomediensis episcopus, qui sub Diocletiani persecutione ob Christi confessionem martyrii gloriam capitis obruncatione suscepit, sancto Cyrillo ejusdem civitatis